

Cont. tit. 1. 1. 1.

D E  
DIOTREPHE

7

A D

*Epistolam Ioannis Apostoli I. C.*

III. COMM. VIII. X.

---

PRAESIDE

VIRO

MAGNIFICO SVMMEQVE VENERABILI

D. IO. CHRISTIANO  
STEMLERO

THEOL. PROFESSORE ORD. ECCLESIAE CATHEDRALIS  
MISENENSIS CANONICO ACAD. DECENVIRO  
CONSISTORII ADSESSORE AD AED.  
THOM. PASTORE

ET

DIOECESEOS LIPSIENSIS SVPERINTENDENTE

AD D. XVIII. OCTOBR. A. R. S. CIOCCCLVIII.

H. L. Q. C.

DISPVTABIT

A V C T O R

M. CHRISTLIEB GOTTWALD WABST.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

7

DIGITIZED BY

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK SACHSEN-ANHALT  
LEIPZIG

LIBRARY


CHRISTIAN

CHRISTIAN

CHRISTIAN



ILLVSTRISSIMO  
ET  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
GVILIELMO AVGVSTO  
S. R. I. COMITI  
A STVBENBERG  
POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS  
ET SAXONIAE ELECTORIS MINISTRO STATUS  
CONSILIARIO INTIMO CAMERAE RATIONVM  
CONDIRECTORI ET AERARII PROVINCIALIS  
QVAESTORI DYNASTAE IN NEVNDORF  
ET STRASSENBERG RELIQA  
MAECENATI OPTIMO MAXIMO



**B**eneficia summa, quibus, **ILLV-**  
**STRIS**SIME COMES, patrem  
quondam meum ornasti, uti me semper ad lit-  
teras assidue discendas incitarunt: ita inscri-  
bendi hunc academicum libellum **NOMINI**  
**TVO ILLVSTRIS**SIMO consilium mihi  
hoc tempore subministrarunt. Cum enim is  
potissimum ideo a me propositus sit, ut ratio-  
nem redderem exacti in litterarum Vniuersi-  
tate temporis: nemini maiori iure eas, quam  
**TIBI**, deberi, e gratissima indulgentiae  
**TVAE** recordatione intellexi. Spero vero,  
**TE** has primitias meas, non doctrina, aut sub-  
tilitate, sed sola pietate commendabiles, bene-

*uole excepturum esse. Sic Deus TE, ILLVSTRISSIME COMES, seruet sospitem diutissime, patriae afflictæ columen et vindicem, litteris ornamentum, clientibus TVIS et mihi praesidium. Scribebam Lipsiae, d. XVIII. Octobr. A. R. S. CIO IOCCLVIII.*

ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO

DEVOTVS


CHRISTLIEB GOTTWALD WABST.





Q. D. R. V.

§. I.

 Qui studia sua ad historiam caelestis illius societatis, quae *Historiae ecclesiasticae* christiana ecclesia vocatur, adiungunt, eaque sedulo *ecclesiasticae* ac prudenter tractant, quae ad illam illustrandam per-*praestantia*.  
stantissimam. Notitia enim eius non iucunda solum est, sed utilis etiam ac necessaria, omnique diuini doctrinae egregia praebet adiumenta. Ipsam religionem, a Christo conditam, si consideramus, quae curarum nostrarum maximam partem suo sibi iure vindicat; historia illa multa habet praesidia, ad veritatem christianae fidei confirmandam, et animos contra insultus profanorum hominum muniendos, accommodata. Si aduersantes Christo homines ad sanioerem mentem reuocare studemus; praesto est haec historia, vsunque praebet insignem in exigendis dirimendisque christiani orbis controuersis, siue de doctrina, siue de cultu, siue de regimine lis moueatur. Cumque religio vim suam in eo demonstrat, vt mores ad pietatem non infucam, virtutesque, christiano homine dignas, formentur; hic etiam multa insunt historiae ecclesiasticae ad hunc finem subsidia: quia non tantum documenta habet, quibus omnis officii ratio dilucide explicatur, sed etiam exempla suppeditat in illustri posita, quibus ad omne christianae virtutis decus accendamus.

§. II.

## §. II.

*Commendatio  
historiae ec-  
clesiae ab Apo-  
stolis confi-  
rtae.*

Haec generatim de historiae ciuitatis christianaе studio valent: inprimis tamen ea illius pars commendationis plurimum habet, quae ecclesiae apostolicae statum describit. Nulla enim sanctioris doctrinae studii pars est, quae ex ea emolumenta fructumque non capiat. In hac initia christianaе societatis contemplamur, atque in illis nihil, nisi fide dignum certumque, nihil nisi aeternae sapientiae conueniens, nihil quod non diuinitati doctrinae christianae demonstrandae inseruiat, deprehendimus. Ex eodem fonte christianae religionis, in mediis humani ingenii tenebris, propagatae, cognitio fuit: ex qua cum summa Dei sapientia benignitasque eluceat, quis, vtilissimam eam esse, in dubium vniquam vocare poterit? Neque silentio praetereundum est, quod amplissima illa bona ac priuilegia, quae nobis in nouo testamento, sanguine Christi confirmato obsignatoque, a Deo impertiuntur, et singularem temporum felicitatem, in quae noui illius foederis fideles reseruati sunt ante oculos ponendo, ad gratiam fauoremque summi Numinis praedicandum, atque ad vsum exoptatissimorum tot munerum nos excitat. Eadem vero simul impietatem hostium veritatis in lucem profert, qui erroribus suis, quorum ne minimum quidem vestigium in omni antiquitate est, Christi et Apostolorum auctoritatem obtendere non erubescunt, et fulcra subruit, quibus imperii istius, quod in omnes temere sibi arrogauit praeful Romanus, machina innititur et sustentatur. Praeterea etiam hoc historiae ecclesiae apostolicae beneficium est, quod subsidia ad rectam intelligentiam librorum N. F. et epistolarum apostolicarum praebet. Quam falsa denique sit eorum opinio, qui, ecclesiam Christi in his terris tam puram perfectamque esse, sibi et aliis persuadere conantur, vt non alios, quam vera fide in Christum praeditos vitaeque sanctimonia conspicuos, complectatur; apostolicae ecclesiae exemplum luculenter omnes docet. Quamuis enim et veritate doctrinae, a Christo acceptae, et sanctiore hominum vita elucebat, qui ad eam se adiunxerant; minime tamen naeuis ac vitiiis carebat, quae grauiori animaduersione corrigenda erant. Constabat ergo tum quoque sua verbis Christi veritas, quibus, necesse esse, praedixit, vt scandala, h. e. errores in doctrina, et corruptelae in moribus, emergant: non quod optimus Saluator quandam errandi peccandique necessitatem cuiuis imponat, vt euitare nequeat offensiones, sed, quod causae semper existant, a quibus ea mala proficiuntur: furor artesque Satanae,  
hominum

hominum ad labendum procliuitas, multitudo malorum exemplorum, quibus ad seducendum alios efficacius nihil est, colores etiam, quibus pessimae quaeque sententiae ac perditissimi mores pingi solent, Matth. VIII, 7. Rom. XVI, 17. Attamen has apostolicae ecclesiae labes ac maculas ipsi Christi ecclesiae dignitati nihil officisse, corrupta eorum temporum monumenta comprobant. Cum enim nihil non malorum christiano coetui ab illis metuendum esset, quibus solemne est ac proprium, vt vias Domini rectas peruertant: Deus, qui omnia gubernat quam sapientissime, mala ea ita moderatus est prudentia sua, vt sancto Christi coetui non minus emolumenti, quam damni adferrent. Enim vero vt certa morborum genera sanitati corporis mirifice inseruiunt: sic studia malorum hominum, in se quidem pestifera nocentissimaque, ad ecclesiae salutem atque incolunitatem, Deo rem ita dirigente, non parum expediunt. Conueniebat nimirum his apostolicae ecclesiae corruptelis Paulli effatum: *Δεῖ γὰρ καὶ ἀγέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι, ἵνα οἱ δοκιμοὶ φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν.* 1. Cor. XI, 19. alioque loco: *Τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Θεὸν πάντα σβενεγεῖ εἰς ἀγαθόν.* Rom. VIII, 28. In quam sententiam praeclare scripsit AVGVSTINVS: *Bene vititur Deus malis, tamquam summe bonus; nec sine re bonus fieri malu, nisi omnipotens etiam de malo bene facere possit.* *Enchir. ad Laurent. Cap. C. Oper. Tom. VII. p. 403.* Cui addi meretur testimonium SYNESII, *epist. LVII. aduers. Andronicum p. 192.*

## §. III.

Tam late cum pateat historiae temporum, quibus nata est ciui- *Instituti ratio.*  
tas christiana, fructus: rem inutilem plane me suscepturum esse, non existimaui, si ex eadem materiam conscribendi libelli academici defumerem, et *Diotrephen*, qui Apostolorum aevo disciplinam sanctissimi Seruatoris temere violauit, et christiano coetui, quem *Ioannes*, amicus Christi, inprimis doctrina et exemplo regebat, grauis molestusque fuit, paullulum curatius contemplarer. Videbar enim, cum collectae in hac academia scientiae publicum quaecunque specimen edere constituerem, in illius historia enarranda vires periclitari commode posse; tum, quia ansam praebet explicandi pericopam quandam *Ioannis*, et eam obseruationibus nonnullis illustrandi; tum, quia multa continet, quibus religionis christianae instituta longe sapientissima, eiusdemque inter homines fata, declarantur; tum denique, quia omnes docet, quae societati christianae frugifera inprimis sint, et quae eidem incommoda adferant grauissima.

B

§. IIII.

## §. III.

*Verba Ioannis.*

Ad rem igitur, quam tractandam mihi sumsi, vt propius accedam; verba ipsa *Ioannis*, quibus *Diotrephis* ingenium et studia describuntur, adducam. Sunt ex epistola eius III. eiusdemque commate VIII et X. Ἐγγεῖναι τῇ ἐκκλησίᾳ· ἀλλ' ὁ φιλοπρωτέων αὐτῶν Διοτρεφῆς ἐκ ἐπιδέχεται ἡμᾶς. Διὰ τῆτο, εἰάν ἔλθω, ὑπομνήσω αὐτῶ τὰ ἔργα, ἃ ποιεῖ, λόγοις πονηροῖς φλυαρῶν ἡμᾶς· καὶ μὴ ἀρεκέμενος ἐπὶ τέτοις, ἔτε αὐτὸς ἐπιδέχεται τὰς ἀδελφὲς, καὶ τὰς βελομένους κωλύει, καὶ ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλει.

## §. V.

*Dubia de canonica auctoritate nostri textus.*

Quum haec verba pars epistolae sint, quae in earum numero est, de quarum auctoritate canonica in primitiua ecclesia dubitatum est; a nostro instituto alienum non erit, quaedam de hac re breuiter monere, eamque genuinam atque ab Apostolo *Ioanne* esse profectam demonstrare: quo, fundamento rite posito, reliqua superstructa eo sint firmiora. Tempus, quo sub dubitationis aleam vocata est haec epistola, saeculum videtur fuisse, III. Primum enim eorum argumentum, qui nostrae epistolae auctoritatem impugnare audent, nititur testimonio patrum quorundam, qui hoc saeculo potissimum vixerunt. Primus eorum est *ORIGENES*, qui apud *EVSEBIUM*, H. E. VI, 18. de *Ioanne* dicit: Καταλέλοιπε δὲ καὶ ἐπιστολὴν πᾶν ὄλγων σῶζων. Ἔσω δὲ καὶ δευτέραν καὶ τρίτην, ἐπὶ ἃ πάντες Φασὶ γνησίους εἶναι ταύτας. *Scriptis etiam epistolam admodum breuem. Sed concedamus, si placet, et secundam et tertiam, quibusdam dubitantibus, ab illo scriptas esse.* Secundus est *DIONYSIUS ALEXANDRINUS*, apud eundem, H. E. VII, 25. qui secundam et tertiam *Ioannis* epistolam *Φερομένους Ἰωάννη* declarat. Tertius vero est ipse *EVSEBIUS*, qui H. E. III, 25. de his epistolis obseruat: Ἀντιλέγονται δὲ ἀλίποιαι δύο. *Duabus autem reliquis contradicitur.* Et paulo post, ybi libros N. T. recenset: Καὶ ἡ ὀνομαζομένη δευτέρα καὶ τρίτη Ἰωάννη, εἴτε τὰ Ἐυαγγελιστῶ τυγχάνωσιν, εἴτε καὶ ἐτέρας ἐμωνόμε ἐκείνω. *Ioannis item, quae dicuntur altera et tertia, siue illae ab ipso reuera Euangelista, siue ab altero eiusdem nominis compositae sunt.* Quibus addi solet *COSMAS*, ab Indica nauigatione *INDICOPLEVSTES* nominatus, cuius verba *L. VII. de mundo p. 292.* latine adiicimus: *Silentio mittimus, Catholicas epistolas, iam inde a praefcis temporibus inter dubias ab ecclesia reponi. Certe nemo ex iis, qui in diuinas scripturas commentaria ediderunt, Catholicarum epistolarum aliquam*

quam habuit rationem. Quin etiam, quotquot librorum, qui in diuina scriptura locum habent, canonem texuerunt, illas inter dubias locarunt: nimirum IRENAEVS, Lugdunensis Episcopus, vir illustris et spectatissimae vitae, qui haud diu post Apostolos vixit, EVSEBIVS PAMPHILI, ATHANASIVS, Alexandriae Episcopus, et AMPHILOCHIVS, Iconii Episcopus, amicus et familiaris B. BASILII, in Lambis suis, ad SELEVCVM scriptis, dubias illas, pronuntiauit. Similiterque SEVERIANVS, Episcopus Gabalorum, in libro contra Iudaeos eas proscripsit. Nam plerique aiunt, eas non Apostolorum, sed quorundam Presbyterorum simplicium esse.

## §. VI.

Vrgent deinde, qui contra canonicam epistolae Ioannis secundae *Alia dubia.* et tertiae auctoritatem insurgunt, eas in codicibus quibusdam desiderari, qui sint antiquissimi, et in versione Syriaca plane non inueniri. Sic enim COSMAS INDICOPLEUSTES: Παρὰ Σύριαις δὲ ἐὶ μὴ αἱ τρεῖς μοναί, αἱ προσηγορευμέναι ἢ ἐπιστολαί, λέγου δ' ἢ Ἰακώβου, Πέτρου καὶ Ἰωάννου. Apud Syros autem non nisi tres, praedictae, inueniuntur, videlicet Iacobi, Petri et Ioannis. Et negari sane non potest, ecclesiam illam vel hodie eas nequaquam recipere, quod ASSEMANNVS observat, *Bibl. Orient. T. III. et, qui eum sequutus est ducem, BEAVSOBRIVS, Hist. Manich. P. II. L. I. C. V. §. 3.* Contendunt etiam, nullum adesse indicium, quod a Ioanne Apostolo scripta sit nostra epistola: non extare nomen eius, quod tamen alii Apostoli suis epistolis plerumque praefigere soleant: auctorem Presbyteri potius nomine uti, quod illi minus competat. Tandem, illam Ioannis propterea non esse, asseuerant, quod in ipsa epistola relatum legimus, *Diotrephen* contra eum surrexisse, auctorque huius epistolae se opposuisse, quam arrogantiam sibi summissee contra Apostolum Iesu hominem christianum, persuadere sibi nemo possit; cum satis inter omnes constet, quanta praecipue *Ioannis* apud omnes fuerit in primitiua ecclesia auctoritas.

## §. VII.

Enarratis, quae contra hanc epistolam moueri solent, dubiis; *Contra dicta* iam videamus, quibus argumentis vindicari ab obiectionibus, ac de- *dissoluantur.* Quod igitur ad testimonia scriptorum attinet, qui disciplinae, selecto diuinitus coetui traditae, ultimi antistites et propugnatores extiterunt, quos patres reuerentiae

caussa dicimus, nihil illa contra eam efficiunt. In Canone eam collocant TERTULLIANVS, IRENAEVS, CLEMENS ALEXANDRINVS, ATHANASIVS, GREGORIVS NAZIANZENVS, CYRILLVS, AVGVSTINVS, GELASIVS, DIDYMVS ALEXANDRINVS, HIERONYMI Magister, et ipse HIERONYMVS: praeterea *Concilium Laodicenum et Carthaginense*; quorum omnium repetere verba nimis longum foret. Qui autem aliter sentire videntur; non suo loquuntur nomine, sed, ab aliis dubitatum esse, tantum referunt. COSMAE vero testimonium solide eneruauit MONTEFALCONIVS cuius uti verbis, quam meis, malo. Sunt ea in *Praef. ad COSMAE Topograph. Christian. C. V. §. 10.* *Hic sane COSMAS non accurate rem agit. Nam quod ait, epistolas Catholicas nullis veterum commentariis illustratas fuisse; id perperam dicit.* DIDYMVS enim ALEXANDRINVS, integros in has septem epistolas commentarios edidit teste HIERONYMO. Quod si illae non tanta commentariorum frequentia illustratae sunt, quanta alii multi scripturarum libri, id etiam de multis aliis, et quidem indubitatis, scripturae sacrae libris dici potuit. De IRENAEI quidem Canone scripturarum, siquidem eum unquam edidit, nihil superest. Quod ad ATHANASII vero Canonem attinet; miror COSMAM, qui epistolas eiusdem Festales perlegerat, quarum fragmenta multa libro decimo adfert, non aduertisse, Canonem scripturarum in trigesima nona haberi, ubi epistolae septem Catholicae inter scripturae sacrae libros, et quidem nulli suspicioni obnoxios, recensentur. Addamus huic de IRENAEO obseruationi, quod verisimile non sit, eum huic sententiae fauisse. Quum enim inter testes canonicae auctoritatis huius epistolae, abs me adductos, primum fere locum merito obtineat, et testimonium illius luculentum *L. I. C. VI.* extet: an sibi ipsi tam aperte contradixisse vir sapiens credi potest? Errauit potius COSMAS, et de re non satis perspecta temere iudicauit; in quam sententiam eo magis inclinor, quo magis mihi suspectus est testis, qui aliquot demum saeculis post IRENAEVM vixit, et a veritate etiam aliis in rebus aberrauit. De AMPHILOCHII vero testimonio obseruauit LAMPIVS, in *Prolegom. ad Ioannem, L. I. C. VII.* in not. fuisse, qui non AMPHILOCHIO, sed GREGORIO NAZIANZENO hos libros tribuerent: in istis autem has epistolas iterum pro dubiis non declarari, sed, de iis dubitatum tantum esse, adseri. Verba ipsa haec sunt:

Καθολικῶν

Καθολικῶν ἐπιστολῶν

Τινες μὲν ἑπτὰ φασιν, οἱ δὲ τρεῖς μόνως

Χρῆναι δέχεσθαι, τὴν Ἰακώβου μίαν,

Μίαν δὲ Πέτρου, τὴν δὲ Ἰωάννου μίαν.

Τινὲς δὲ τὰς τρεῖς, κ. τ. λ.

h. e. *Catholicarum quidem epistolarum septem numerant; quidam vero tres tantum esse recipiendas: unam Iacobi; unam Petri; unam Ioannis; alii vero tres. (scil. Ioannis.)*

§. VIII.

Neque obstat, quod ad priuatos hae epistolae scriptae sint, pro- *Obiectiones*  
ptereaque tam cito ad reliquarum ecclesiarum cognitionem peruenire *refutantur.*  
non potuerint. Quid enim impedit, quo minus singulari Dei prou-  
dentia, et laudabili eorum, ad quos datae sunt epistolae, aliis infer-  
uendi studio, atque flagrante reliquorum hominum christianorum  
ex epistolis *Ioannis* in re diuina proficiendi ardore, breui tem-  
pore quam plurimis innotescere dicata haec omnibus monumenta pos-  
sent? Dubitationibus autem de his epistolis ansam praebuisse videtur  
alius *Ioannes*, quem in ecclesia Ephesina vixisse, et ab Apostolo  
*Ioanne* Episcopum constitutum esse ferunt: quippe qui Pres-  
byteri etiam nomine interdum insignitur. Sic enim *HIERONYMVS,*  
*de script. eccles. C. IX.* Reliquae autem, inquit, duae epistolae *IOAN-*  
*NIS* Presbyteri adferuntur, cuius et hodie alterum sepulcrum apud  
*Ephesum* ostenditur. Mentionem eiusdem etiam iniicit *EVSEBIVS*  
ex *PAPIA*: Alium vero *Ioannem*, distinctione quadam facta, extra  
Apostolorum numerum collocat, praesferens *Aristionem*, et euidenter  
eum Presbyterum nominat, ut per hoc comprobetur, verum esse illud,  
quod quidam *Asiani* scribunt, quod duo sint apud *Ephesum* sepulcra, et  
vtrumque *Ioannis* adpelletur. Quod si igitur fuerunt, qui in ex-  
plorando harum epistolarum auctore minus studiosi, nomine, loco  
et dignitate ita decipi se passi sunt, ut istum *Ioannem* Ephesinum  
earum haberent auctorem: fieri etiam facili negotio potuit, ut, huic  
hypothesi inhaerentes, in hunc errorem abirent, ut canonicam au-  
thoritatem epistolis denegarent, quae ex eorum mente ab homine  
non Θεοπνεύτω essent conscriptae. Caeteram *GROTIVS* et alii, hunc  
*Ioannem* Presbyterum sublesta fidei esse virum, inde iudicant;  
quod *IRENAEVS* et *POLYCRATES* nullam eius fecissent mentio-  
nem, vbi tamen potuissent ac debuissent. Sed concedamus, fuisse  
eum,

XIIII DE DIOTREPHE.

eum; non tamen epistolae nostrae auctor dici potest; quum vel ista, qua huius scriptor in ecclesia gaudet, auctoritas, in eum cadere nullo modo queat.

§. VIII.

*Alia dubia referuntur.*

Quod in codicibus quibusdam desideretur nostra epistola, negari quidem nequit. Sed quot quaeso sunt codices imperfecti? quot sunt, in quibus multos libros sacros quaeras frustra? id, quod temporis iniuriae, et scribarum incitiae, hominumque aliorum incuriae tribuendum esse viderur. Quid? quod etiam mali homines, qui eodem quo *Diotrophes* animo fuerunt, monita Apostolorum nihili fecerunt, iusque regendae ecclesiae sibi et ipsis vindicarunt, has epistolas e canone in suis ecclesiis eiiciendas curare, immo aliis ecclesiis suspectas easdem reddere potuerunt; quum in iis continerentur, quae peruersissimis eorum moribus plane essent contraria, ambitionemque et durum in adfectos animum reprehenderent. Quod de Syriaca versione nobis obicitur dubium; non magnopere nos mouet. Historia enim illius multis laborat difficultatibus, neque certo dici potest, quoniam tempore illa sit perfecta, et e cuius calamo prodierit. *Presbyteri* vero titulum ipse adhibuit *Ioannes*, vt ab *EUSEBIO*, L. III. H. E. C. V. iam probatum est: *Πρεσβυτερον εαυτον ονομαζει*, erat *HIERONYMO*, Ep. XXXI. *Clangat tuba euangelica, filius tonitru* - - - : *Presbyter electae dominae*: et in alia epistola: *Presbyter Caio carissimo*. Idque non vna commotus ratione fecit. Nominare se ita potuit: nam in primitiua ecclesia hoc nomine appellari ne quidem Apostolorum quisquam recusabat; quod ex 1. Petr. V, 1. constat, vbi se *συμπερεσβυτερον* vocat Petrus. Fuit etiam canities eius; fuit aetas prouectior; fuit eius in his ecclesiis auctoritas, quae ipsi hunc titulum fecerant conuenientem. Non desunt ergo, qui existiment, hunc titulum ab Asiaticis ecclesiis illi ita fuisse impostum, vt κατ' εξοχην *Presbyter* diceretur. *HEVMANNVS* vero in *Syll. Diss. Nou. P. I. Diss. VIII.* et alii priorem tuentur sententiam, atque vocem *πρεσβυτερος* non per *Presbyter*, sed per *grandaeuum*, senem, aetate grauem transferendam esse censent. Quemadmodum enim *Paullus* se Παύλλον *πρεσβυτην* adpellauit; *Philem.* v. 9. sic etiam senex *Ioannes*, qui omnes Apostolos viuendi spatio superauit, hoc nomine vsus esse putatur, vt doceret, euenisse, quod ipsi promiserat *Saluator*. *Ioan.* XXI. 22. 23. Quod vero nomen suum omisit *Ioannes*; res illi est admodum solemnis et familiaris. Sic enim



enim in prima sua epistola, de qua tamen ne minima quidem umquam orta est contentio, teste EVSEBIO, idem fecit: neque subscribere ideo eorum sententiae necesse est, qui, nomen eius ab ecclesia perfectionis metu suppressum forsitan esse, coniecerunt. Ipsarum vero epistolarum habita ratione, *Ioannem* nomen suum omisisse, existimat TILLEMONT, *Hist. Eccles. T. I. P. III. p. 1093.* scribens: *Saint Jean ne prend point dans ces deux epîtres le nom d'Apôtre, parceque ce ne sont, que des lettres d'amitié a des particuliers, mais il prend celui de vicillard, que sont grand age lui faisoit peutêtre donner ordinairement.* Omnium vero leuissimum est illud argumentum, quod ultimo loco adducunt, difficile esse creditu, quod homo christianus Apostolo opponere se nullus dubitauerit, qui auctoritate, muneris grauitate, canitieque tam esset conspicuus. Natura enim hominum Apostolorum aetate eadem fuit, quae nostra; eadem infecta labe, eodem ad quaeuis mala impetu ruebat. Quod si igitur Christus ipse de caelo rursus descendisset, euangeliumque praedicaasset, detur haec opinioni meae venia: homo tam peruersus, nomine, non re christianus, illi contradicere, illum λόγοις πονηροῖς φλυαροῦν, vt est in nostro textu, illique hospitium denegare ausus forsitan fuisset. Non enim omnes homines, neque omnes istius temporis verbi diuini praecones fuerunt, TIMOTHEI, vt bene monet TILLEMONT iam adductus.

## §. X.

Non immorabor his diutius, ne longius a proposito diuagari videar. Vnum adhuc me retinet, in quo fateor plurimum me inuenisse, quod omnem de hac epistola controuersiam componat, eiusque nullum alium esse auctorem, quam *Ioannem* Euangelistam, certum faciat. Nimirum scribendi genus, quod in his epistolis est, omne est *Ioannis*, illique, quod est in euangelio et in prima epistola, conforme. Stilum *Ioannis* planum esse, sublimibus tamen verbis et notionibus mixtum, ita, vt Blackualius illum cum gladio isto, cuius Sap. XVIII. 16. fit mentio, qui in terra quidem stabat, caelum tamen pertingebat, comparare non dubitet; constat inter omnes. Gaudet breuitate et simplicitate, plenitudinem tamen prae se fert et euidenciam. Singularia praeterea habet permulta, quae illum ab aliorum sanctorum virorum scribendi ratione discernunt, nostrae vero epistolae ita insunt; vt nos de eius auctore dubitare non sinant. Multis *Ioannes* delectatur copulandi particulis. Exemplo nobis sit euangelii eius initium,

*Scribendi ratio Ioanni propria.*

fium, vbi in quinque commatibus prioribus copula *καί* sexies occurrit. Eadem in loco 1. Ioan. III. 22 - 24. in tribus septies legitur. Sed nec nostrae deest epistolae ea nota. Etenim in decimo, quod illustrandum nobis sumimus, commate, quater eam adhibuit Apostolus, et in duodecimo ter ista vsus est. Repetitiones illi sunt frequentissimae. C. VIII, 21, 24. *Moriemini in peccatis vestris*, ter repetit: conf. 1. Ioan. I, 8, 10. et in nostra eadem occurrunt. Sic testimonium, quod fratres de integritate vitae Caii Ioanni v. 3. exhibuerant, eosdem ecclesiae exhibuisse adfirmatur v. 6. nec *Ioannes* gaudium suum et de Caii et fratrum in vniuersum vitae sanctitate v. 3. et 4. bis testificari dubitauit. Periphrasum etiam, quibus saepius vtitur *Ioannes*, vt 1. Ioan. II, 11. vestigia in nostra conspiciuntur epistola. Caio enim omnibus absolutam numeris salutem adprecaturus v. 2. copiosius exponit, quae sibi ad illam pertinere videantur; inter quae corporis sanitatem animique requiem iure suo referendam existimat. Neque hic deserit vilitatem illam, mentem suam de vna eademque re et adfirmando et negando explicandi, resque sibi inuicem opponendi, rationem. v. Ioan. I. 3. III. 18. VIII. 23. 1. Ioan. I. 6. 7. II. 9. conf. epist. III. v. 11. Appendices quasdam dictis suis saepius adiungit, quas etiam in epistolae nostrae commate 2. et 3. inuenimus. Sunt insuper voces, quibus prae aliis delectatur Ioannes, Christum v. g. λόγον, statum peccati *tenebras*, mundum *mendacium*, gratiae vero statum *lucem*, spiritum, *veritatem*, ex Deo esse, *Deum cognoscere* vocat. En *veritatis* vocem etiam in nostra epistola! Nil dicam de voce *μαρτυρεῖν* et *μαρτυρεῖσθαι*, quae vbiuis obuia est. Et si caetera nobis deessent stili *Ioannis* criteria: proderet eum blanda illa cum suis agendi et colloquendi ratio. Siue enim lapsos ad frugem reducere allaboret; siue fideles ad constantiam in fide seruandam adhortetur: vbiuis se patrem, amore erga suos plenum potius, quam doctorem seueriore reprehendendi ratione vtentem, praebet. Namque discipulos suos iam *τεκνία* 1. Ioan. II. 1. 12. 28. iam *παιδιά* v. 18. iam *ἀδελφός* C. III. 13. nominat, iam nomine τῶν ἀγαπητῶν eos 1. Ep. III. 2. IV. 7. 11. compellat. Quae si cum nostra epistola conferas, dictionem reperies, qua, vitato seueritatis taedio, cunctos alexit suauitate quadam ad amorem sui, et salubribus blandissimarum vocum *τεκνίων*, *ἀδελφῶν*, *ἀγαπητῶν*, illecebris, omnes inuitauit; vt libenter facerent, quae diuinitus praescripta essent. Sunt alia adhuc stili Ioannei criteria, sedulo adnotata a viris doctissimis FLACIO,

GLASSIO,

GLASSIO, MOLDENHAVERO, quae quamquam in nostra epistola non inveniuntur; tanti tamen ponderis non sunt, ut stili diuersitatem arguant. V. FLAGIVS, in *Clauo P. II. p. 830.* GLASSIVS, *Phil. S. L. I. Tr. IV. Sect. III. p. 338.* MOLDENHAVERVS, *Introd. in Lib. Can. P. II. Sect. II. C. II. Membr. IV. p. 354.* M. MART. MELCH. RICHTER, *de stilo Ioannis.* Witteb. MDCCXVII.

§. XI.

Sufficiant haec de epistolae auctore, ad fidem dicendis faciendam. *Totius epistolae brevis conspectus.* Ipsa vero epistola, praemissa epigraphe, votoque pro salute *Caii* facta, in argumento  $\pi\rho\sigma\tau\epsilon\rho\pi\tau\iota\kappa\acute{\omega}$  versatur, et Caium, a munificentia in hospites et egentes effusa, insignique cunctis, qui aliunde accessissent, benigne faciendi studio, commendatum, idoneis rationibus admo-  
net, ut in eodem perseueret. Perit eas, partim a decoro; quia prae-  
clare faciat *Caius* et hoc nomine laudibus effertur in ecclesia, quod sanctos velut hospites habeat, eosque humanissime excipiat, mirifi-  
ceque recreet ac reficiat; partim ab aequo; quia id eorum exigat con-  
ditio, quibus dumum suam liberaliter patere velit. v. 7. 8. partim ab  
*exemplo Demetrii*, qui vnus ante alios hospitalissima virtute celebra-  
tur. v. 12. Subiungit epilogum, qui breuitatis excusatione, promit-  
sione aduentus, pacis comprecatione, ac mutua salutatione absol-  
uitur.

§. XII.

Dum *Ioannes* curam studiumque fratrum aduenientiam egestatem *De nomine Diotrepbis.* beneficiis leuandi commendat; *Diotrepbem* reprehendit, quod non tantum imperium in ecclesia sibi arroget, sed inhumanum se quoque et durum praestet aduersus eos, qui bene essent de re sacra meriti, et in re tenui aliena exspectare subsidia cogantur. Quod dum facit, exemplum proponit, in quod intueantur reliqui, et in quo, quid nomini professoris tam sanctae disciplinae maculam adspergat, cognoscerent. Videamus igitur, quis fuerit, et, quibus factis animum *Ioannis* offenderit, exponamus. Incipiam a nomine, in cuius origine inuestiganda non commorabor. Graecum esse, norunt omnes, qui harum litterarum plane expertes non sunt, statimque cognoscunt, compositum esse ex  $\Xi\epsilon\upsilon\varsigma$ ,  $\Delta\iota\omicron\varsigma$  et verbo  $\tau\epsilon\acute{\rho}\epsilon\upsilon\omega$ , ut sunt alia nomina e. g.  $\Delta\iota\omicron\nu\eta\sigma\omicron\varsigma$ ,  $\Delta\iota\omicron\pi\epsilon\tau\eta\varsigma$ ,  $\Delta\iota\omicron\sigma\kappa\alpha\beta\omicron\iota$ . caetera. Magnificum itaque satis nomen, quippe quod *nutritum a Ioue*, seu *Iouis alumnus* significat. HOMERO adeo placuit, ut vel regibus aptum illud conferret. Sic enim, quum *Achilles* propter *Chryseidem*, ab *Agamemnone* de-  
tentam,

XVIII DE DIOTREPHÉ.

tentam, minabatur, se Achivus relicturum, domumque reuersurum esse, Agamemnon dicit:

Ἐχθιστος δέ μοι ἔσσι διστρεφέων βασιλῆων.

*Inuisissimus vero mihi es a Ioue nutritorum regum.*

Il. I. i 76. Et de concione Graecorum tumultuante haec Il. II. 97. leguntur:

Ἐπιστ' αὐτῆς

Σχοιὰτ', ἀπέσειαν δὲ διστρεφέων βασιλῆων.

*Si quando a clamore desisterent, et Iouis alumnos, reges, audirent.* Id quod HOMERVS multis aliis in locis repetit, quae recensere parum refert. Vide Il. II. 445. Tributum vero hoc nomen regibus est; quia, in illis humanae mentis tenebris, quam plurimi reges, heroes, hominesque inusitatis naturae dotibus instructi, et non solum eximio corporis robore et insigni fortitudine, sed ingenii etiam praestantia et multarum rerum cognitione celebres, a Ioue aliisque diis ac deabus orti et procreati esse credebantur. Existimabant praeterea fictorum numinum cultores, reges, et illustres personas, imprimis curae diis esse, a diis regna accipere, atque in conuersionibus, quas aut mortalitatis fragilitas, aut fortunae mobilitas faciant, sub tutela numinum singulari, incolumes stare. Haec nominis *Diotrephis* deriuatio quum satis sit probata; non intelligo, quid BEDAM commouerit, vt, ea neglecta, *Diotrephem*, in *Oper. V. T. in b. l.* per *speciosum, insulsum*, seu *insanientem decorem* interpretaretur. Caeterum *Diotrephis* nomine monemur, quam fallacia sint nomina, et quod de ingenio et moribus hominum ex illis iudicari nequaquam possit. Quis est, qui nesciat, in ecclesia Iesu Christi multos pulcherrimorum nominum specie dolum molitos esse, qui, ficta veritatis imagine, fucum facerent aliis, et apertam, simplicem, rectamque illius viam desererent. Qui prae caeteris, veri ac sempiterni Dei cognitionem, seu γνώσιν, instillare aliis se, gloriabantur, et *Gnosticorum* nomine superbiebant, reconditamque iactabant sapientiam, et in vultu morum grauitatem mentiebantur, ab ipsa Christi disciplina remotissimi erant, eamque erroribus suis foeditissimis inuisam faciebant aliis, ac damna rei christianae maxima inferebant. *Montanus* se ipsum *Spiritus sanctum* ausus est nominare, eiusque discipuli, se a spiritu isto adflatos esse, iactabant: cum, vt CYRILLVS *Hierosolymitanus* refert, ὁ τῶν κακῶν ἕξαρχος καὶ πάσης ἀκαθαρσίας καὶ ἀσελγείας πεπληρωμένος esset. *Cateches. XVI. p. 227.* ed. THOM. MILLES. conf. HARMENOPV-

MENOPVLVM, de Sectis Cap. XVI. Nouatiani *Catharorum* nomen sibi sumferunt, et non, nisi sectatores suos, iudicarunt dignos esse, qui sinerae ecclesiae adscripti censerentur: reliquas Christianorum familias ab hac dignitate seiundas et Spiritus sancti expertes esse, professi publice sunt. Neque eo secius illis CYPRIANVS aliique iure obiecerunt, quod non tantum ecclesiam turbarent, sed etiam moechos et adulteros et fraudatores, aliosque degeneres Christianos, in sinu fouerent. Inter eos autem, qui in ecclesia Romana *Diotrephem* nostrum imitati sunt, et primatum sibi arrogarunt, multi exstiterunt, qui nominis decus morum prauitate contaminarent. Exhibet nobis historia Pontificum *Bonifacios* maleficos, *Leones* timidos, *Vrbanos* rusticos et agrestes, *Innocentios* vita et moribus improbos, *Clementes* feroces, caetera.

## §. XIII.

Parentes habuit *Diotrephes* a Christianorum sacris sine dubio alienos, deorumque cultui deditos; id quod non tantum nomen ipsum iam explicatum, sed temporum quoque ratio, in quaetas illius incidit, manifestum facit. Pleni autem omnium sunt libri, plena antiquitatis documenta, quam tristis fuerit tum terrarum orbis facies, quam turpi foedaque superstitione se contaminariat omnes gentes, quam inepta et ieiuna fuerint ipsorum quoque Graecorum ac Romanorum, qui animos videbantur bonis litteris maxime excoluisse, sacra, et quam flagitiosam ac prorsus impiam egerint vitam omnes, suppremi, mediocres, infimi, quam denique vana fuerint philosophorum omnium studia, in emendandis temporum vitiis, rebusque humani generis adeo prolapsis in integrum restituendis, cum omnium hominum Saluator legatos suos, diuinis praesidiis munitos, in orbem terrarum mitteret, vt tot tamque graues gentium perditissimarum morbos sanarent, viamque omnibus ad consequendam salutem monstrarent. Neque dubium est, *Diotrephis* familiam eadem, qua reliqui homines profani, contagione infectam fuisse. Cum vero tanta vis esset disciplinae Christi, ab Apostolis per vniuersum, qua patet orbem, tum temporis notum atque cultum, diffusa, vt tenebras pelleret, lucemque veritatis vbique spargeret; vicit etiam *Diotrephen*, vt nuntium mitteret erroribus, atque magno eorum numero se adiungeret, qui Christum vnicum salutis instauratorem, summumque doctorem profitebantur. Si quid ergo est, quod testatissimam facit diuinam originem, auctoritatemque ac virtutem religionis christianae,

et praestantiam Magistri illius; hoc certe est, quod Apostoli, viri plebei, pauperes, litterarum expertes, neque vel dotibus, vel partibus vllis praediti, quae fidem apud alios parere solent, sed ad res tanti momenti gerendas profus imparati, sine omni humano praesidio, intra breue temporis spatium, renitentibus licet difficultatibus, quae superari non posse viderentur, doctrinam Iesu Christi salutarem quidem, sed corruptae hominum naturae inuisam, et vitii saeculi contrariam, non tantum Iudaeis, hostibus Christianorum infensissimis, sed etiam tot gentibus immanitate barbaris tam felici successu tradiderunt, vt vbique Christo coerus colligerent. Nihil hic religioes crederent; nihil fingendi libidini, quae etiam nonnullorum Christianorum mentes sequentibus apostolicam aetatem saeculis, inuast; tribuimus; non nitimur narrationibus hominum incertis ac dubiis; nulla hic vitia, quae historiarum scriptores ad decipiendos lectores arripuerunt: assentatio, inscitia, odium, gratia, inuidia. Prostant de Apostolorum disciplina, itineribus, rebus gestis et familiis, Euangelii efficaciam conditis, ipsa Spiritus S. testimonia in scriptis noui foederis incorruptis. Prostant alia monumenta luculentissima testium intemeratae fidei; doctorum, qui Apostolos sequuti sunt duces: praeterea TERTULLIANI, IUSTINI MARTYRIS, CLEMENTIS ALEXANDRINI, ORIGENIS, EVSEBII, THEODORETI, aliorumque, contra quae nihil omnino neque obreclationes et conuicia, neque vllae mali daemones artes, vnquam efficere potuerunt. V. PHIL. LVD. HARTMANN, *de rebus gestis Christianorum sub Apostolis*, et IO. ALB. FABRICIVM, *in luce euangelii, toti orbi exoriente*. GROTIUM, *de V. R. C. II. 18.* et alios.

## §. XIV.

*Langii ex nomine coniectura refutatur.*

Equidem fateor, admissos tum quoque in ciuitatem sacram et receptos in diptycha Christianorum esse nonnullos bonos honestosque homines, in quantum ipso naturae ductu boni et honesti sumus; sed qui nondum satis imbuti essent disciplina Christi. Ex quo illud incommodum ortum est, vt exquisitis eorum artibus, quorum communionem deseruerant, ad pristinas fordes retraherentur. Non possum tamen abs me impetrare, vt IOACHIMO LANGIO, diligentissimo scripturae sacrae interpreti, suffragari, qui ex nomine *Diotrephis* contendit, *Diotrephen* nomen Christo quidem dedisse, animum vero retinuisse, a Christianorum disciplina, moribus, vita, virtutibus, alienum, atque ad simulacrorum cultum et alia gentilissimi vitia propensum. Adde, si vere ad Christum conuersus fuisset, eum idololatricum nomen non

non retenturum, sed cum eo simul memoriam pristini furoris depositurum fuisse. Potuisse enim in locum *Diotrephis*, *Theotrephis* seu *Christotrephis* nomen substituere. Vid. *Exeges. Ep. Ioan. in h. l.* Quid vero? Num omissa nominis mutatio impedire potuit, quo minus seria mente ad christiana sacra accederet *Diotrephis*? In primis nascentis ecclesiae temporibus vsu receptum nondum erat, ut omnes, gentilibus sacris nuncium mittentes, nomen suum mutarent, nouumque, et christianum quidem, imponi sibi curarent. In eadem nostra epistola nobis occurrit *Demetrius*, Christianus, qui, si nomen respicias, *Cerevi* consecratus mansisset, quem vero a pietate, morum integritate, animique probitate valde commendat Apostolus. *Apollo*, ut obseruat doctissimus HEVMANNVS, *Diff. Syll. N. l. c.* vir *δυνατός ἐν αἰσὶς γροφῶν* Act. XVIII, gentium Iudaeorumque doctor, nomen gessit, ethnico Deo proprium. *Dionysus Areopagita* nomine insignitus fuit, quod a BACCHO deriuatur. Sunt alii praeterea, quorum in Actis et Epistolis Apostolorum mentio fit, Christiani, qui nomina sua, ante transitum suum ad christiana sacra accepta, retinuerunt, testatique sunt hac re; non nomen, sed animum verum Christi constituere cultorem. Ut taceam, doctores magnae in ecclesia existimationis post aetatem Apostolorum fuisse, qui non nomen, sed professionem mutarunt. Sufficiat vnum adducere CYPRIANVM a Cypride, h. e. Venere dictum. Quae cum ita sint, neque nostris temporibus vitio cuiquam verti debet, si nomen semel impositum, etiamsi ethnicam redoleat originem, seruet, quemadmodum MARTINVS noster LVTHERVS nomen suum non abiecit, a MARTE, belli apud profanas gentes Deo, ortum.

## §. XV.

Locum vbi sedem fixit *Diotrephis*, inuestigare ac certo definire *De loco, vbi vixerit, dis-* in tanta documentorum inopia non ausim. Coniecturae locum facit *quiritur.* *Caius*, ad quem data est nostra epistola. Eiusdem enim ecclesiae membrum fuisse *Diotrephem*, patet ex eo, quod *Ioannes* ad *Caium* scribens, ecclesiae in qua is degebat, scripsisse testatur, atque de *Diotrephe* tanquam de persona, satis ipsi iam cognita, atque in societate illius commorante, loquitur. Quis vero iste *Caius*? vbi locorum ille? Mentionem iniicit *Lucas* in Actis C. XIX. 29. XX. 23. *Caii*, *Macedonis*, qui etiam *Derbaeus* dicitur, comitis *Paulli*, qui in tumultu, Ephesi orto, a multitudine concitata comprehensus, periculum euasit et *Paullum* iterum sequutus est. Sed nihil habemus

praesidii satis firmi, quod, ad hunc *Ioannem* scripsisse, existimemus. MILLIUS, in *Proleg. ad N. T.* §. 152. fuisse hunc *Caium* Episcopum quendam ecclesiae Pergamenaе, statuit. Sed quum ex fontibus, minus limpidis sententiam hauserit, ex *Constitutionibus Apostolicis*; nolim ipsi calculum adiicere. De *Caiio Therapeuta*, cui DIONYSIVS AREOPAGITA epistolae quatuor priores inscripsit, MAXIMUM in *scholiis ad DIONYSIVM* cogitasse, SERARIUS obseruat. Sed digna vix est eius opinio, quae in numerum coniecturarum referatur. CORNELIUS a LAPIDE FLAVIVM, LVCIVM DEXTRVM laudat, qui in *Chronico ad A. C. LXX.* Per haec, inquit, tempora delatus iam in Asiam S. Ioannes, cognomento theologus, docebat Ephesi, vnde scripsit ad *Caium Hispanum, C. Centurionis Malacitani filium, fratrem Demetrii, hospitalis viri, cuius pater post fuit Mediolanensis Episcopus. Diotrepbes vero impediēbat hospites ad Hispanias peregrinationis causa devenientes. At hic malus Episcopus propter scelera et superbiam depositus est.* Equidem non ignoro, HIERONYMVM in *Catalogo scriptorum ecclesiasticorum*, aliquod laudare DEXTRI *Chronicon*: sed illud, quod sub nomine DEXTRI in Hispania A. R. S. MDCXIX. prodiit in lucem, genuinum non esse, nemo est, tam parum in re litteraria versatus, quin sciat. Itaque apertum est, quam parum testimonio illius tribuendum sit. Restat, vt sententiam adducam plerorumque interpretum suffragio ornatam. Scilicet *Caium* esse *Corinthium* illum, quem suum et totius ecclesiae hospitem *Paullus* laudat Rom. XVI. 23. quemque ipse ad fidem in Christum perduxerat, perductumque sacro fonte abluerat. I Cor. I. 14. Ab hac, cur recederem, non inueni, quod me commoueret. Obiectio enim HEIDEGGERI et, qui eum sequitur, HEVMANNI, diuersum tempus, quo *Paullus* ad Romanos, *Ioannes* vero ad *Caium* scripsit, vrgentium, *Caiumque Corinthium* iam isto tempore, quo *Ioannes* epistolam suam exarasse videatur, supersitem non fuisse contendentium, non multum obstat: quia temporis diuersitas nihil magis mihi quidem probare videtur, quam, quod *Caius* ille *Corinthius* aetate tunc temporis fuerit prouectior, et *Ioannes* senex, *Caius* litteras seni miserit. Colligere ex eo quoque verisimilitudine quadam nobis liceat, *Diotrephem Corinthi* vixisse, quae Achaiae erat metropolis, vrbs splendida, ad duo maria sita, Aegaeum nimirum, Ioniumque, quae propterea *lumen Asiae* a CICERONE, in *Orat. pro leg. Manil. C. V.* decus Asiae a FLORO II. 16. *bimarisque Corinthus* ab HORATIO L. I. Od. 7. vocatur,



vocatur, ab aere vero, quod auro aequiparatum olim fuit, imprimis digna est, quae commemoretur. Vid. PLINII *Hist. Nat.* XXXIV. 2. conf. PAVSANIAM in *Corinthiacis*; ARISTIDEM, in *Isthmic. ad Neptun. oper.* T. I.

## §. XVI.

Veniamus ad dignitatem ac munus, cui praefuit *Diotrephes*. Dignitas Diotrephe. Sunt, qui credunt, Episcopi, siue antistitis in sua ecclesia, eum locum obtinuisse. Sic MILLIUS, in *Proleg. ad N. T.* §. 132. *Episcopum*, inquit, *Diotrephen fuisse, inde liquet, quod excommunicauerit, siue eiecerit nonnullos, qui sese erga fratres beneuolos ostenderant, ex ecclesia.* Sententiam hanc teneunt etiam INFANTIVS, in *Praef. ad hanc epist.* MOSHEMIVS in *Commentar. de rebus Christianor. ante Constant. M.* p. 175. 177. SONTAGIVS, HORNEIVS ad *b. l.* aliique. HUGO GROTIUS vnum ex Presbyteris eum fuisse, sedemque Episcopi tunc vacuam ambiisse, existimat: quem HENRICVS HAMMONDVVS sequitur, in *disf. praemiali, praemissa IV. dissertationibus, quibus Episcopatus iura ex S. Scripturis et primaeva antiquitate contra Blondellum* aliosque adstruxit, in qua de *Diotrephe* et Antichristo, de mysterio iniquitatis, et de Gnosticis, Apostolorum aeuo, egit. Londin. MDCLI. Addere ei possumus CLERICVM, qui ita verba *παραφρασεως*: *Hanc in rem scripsi ad ecclesiam: sed Diotrephes, qui libenter eius loci esset Episcopus, non curat meas litteras.* Celebrerrimus vero HEVMANNVS locum ei inter Diaconos adsignat, censetque, quod aerarium ecclesiasticum curarit, prouidusque eiusdem fuerit oeconomus, atque eam ob causam aduenas fratres non subleuarit, quod vix ecclesiae illius pauperibus alendis satis videretur suppetere, fratresque hos ea de causa sua ecclesia discedere, et alibi eleemosynam colligere, iusserit. HEMMINGIVS denique plane *Diotrephen* e numero Christianorum eiicit, eumque rem publicam illius ciuitatis administrasse, statuit.

## §. XVII.

Non eos mihi spiritus fumo, vt, me arbitri partes in hac pu-<sup>Diindicanter</sup> gnantium sententiarum varietate tueri posse, existimem. Scio, id <sup>sententiae de</sup> neque in aetatem, neque in vires meas cadere: licebit tamen mode-<sup>ea.</sup> ste exponere, quae, circumspectis rebus omnibus, et rationibus subductis, proxime ad veritatem accedere, putem. Mihi quidem longe ab ea abesse videtur Hemmingiana opinio. Etenim *Diotrephen* non ethnicum hominem, sed Christianum fuisse, cognoscitur ex eo: quod

quod illi in nostra epistola circa ecclesiam quaedam occupatio tribuitur, quodque ecclesiae a *Ioanne* disertis verbis associatur; quum *Φιλοπρωτέων* *ἀντῶν*, principatum quendam inter eos affectans, vocatur. Regimen vero istius urbis penes eum fuisse, ideo minus probabile est, quod *Diotrephes* in nostra epistola fratres non ex urbe, sed ex ecclesia eiecisse legitur. Quae enim in internam ecclesiae constitutionem magistratus eo tempore iura? Libere etiam ingenuae profiteor, doctissimi *HEVMANNI*, cuius summa in omne litterarum genus merita suspicio, auctoritatem commouere me non potuisse, ut ei assentiret. Quum enim ausus sit *Diotrephes* non fratres aduenientes solum, sed, ut verba epistolae clare indicant, eos etiam, qui suscipere bonos illos homines vellet, communionem sacrorum, quibus praeerat, priuare: tantum auctoritatis habuisse Diaconum, non crediderim, ut ei concederetur, alios sine vili ratione ex ecclesia exturbare. Eorum enim munus praecipuum erat, bona in pauperum usum colligere, collecta administrare, riteque distribuere, aegrotorum habere rationem, Episcopis et Presbyteris, si qua daretur occasio, adesse. Si dotibus forte quibusdam instructi essent singularibus; docendi quidem potestas eis non denegata est, ut liquet Stephani exemplo, Act. VII, 1: veruntamen regendae ecclesiae dignitatem datam iis fuisse, nemo adferret, nisi rerum christianarum aetatis apostolicae plane imperitus. Eam enim constat primis ecclesiae temporibus penes Apostolos, deinde penes ordinem superiorem Episcoporum Presbyterorumque, fuisse. Mihi eorum sententia maxime probatur, qui *Diotrephen* putant vnum ex collegio Presbyterorum fuisse, qui in ea ecclesia instituti ab Apostolo fuerant: quia in verbis *Ioannis* ipsis argumenta sunt, non leuis momenti, quae ita influxerunt in animum, eam vt amplecterer. Etenim *Φιλοπρωτέων* erat: hoc est, principatum adfectabat, eiusque valde cupidus erat. Qua re signum edebat impotentis animi hominis, qui non contentus est dignitate, qua iam pollet, sed maiorem, quam caeteri, auctoritatem sibi arrogat et primarum partium actor esse vult. Exigebat ecclesiae bene constitutae ratio, vt Presbyteris quaedam concederetur potestas in rebus disponendis, ad salutem sacri coetus pertinentibus: sed et Episcoporum Presbyterorumque eadem erat tum temporis dignitas. *Diotrephes* autem intra fines huius dignitatis se non continebat: sed maiora adpetebat, atque omnibus in rebus plus sibi, quam Presbyterum decebat, arrogabat. *Pleonestem* diceres eum fuisse, seu *pluripetam*, et,

comica

comica audacia, pluribulum. Alio id indicio prodidit. Cum collegii Presbyterorum pars esset; ductam illam a pari aequitatem conculecabat, et licentiam alios eiciendi sibi soli vindicabat: id quod a Diaconi auctoritate alienum fuisse, antea iam adnotauimus.

## §. XVIII.

Dubio caret, perturbasse ecclesiam apostolicam homines, qui *Au haereticus homo fuerit?* professionem quidem religionis christianae prae se ferebant, errores autem, fundamento doctrinae oppositos, propugnabant. De quibus cum multi exposuerint viri, magna eruditionis laude insignes, IO. MICH. DILHERRVS, CHRISTOPH. SONNTAGIVS, THOMAS ITTIGIVS, CAMPEG. VITRINGA, IO. FRANCISCVS BVDDEVS, IO. ALBERTVS FABRICIVS, aliique; actum agerem, et quandam incurrerem temeritatis reprehensionem, si, addi his a me quidquam posse, mihi persuaderem: hoc vero ab instituto meo alienum non erit, disquirere, an referendus in eorum numerum sit *Diotrepbes*, qui eiusmodi errores propugnarunt, seque a doctoribus orthodoxis segregarunt, et ecclesiam turbarunt. Fuerunt in ea sententia viri doctissimi, e quibus audiamus BEDAM, qui Operum T. V. *Diotrepbes*, inquit, *haeresiarcha fuit illius temporis, superbus et insolens, malens noua docendo primatum sibi usurpare scientiae, quam antiquis sanctae ecclesiae, quae Ioannes praedicabat, humiliter auscultare mandatis.* ERASMVVS nouae eum haeresis auctorem fuisse autumat, quibus addendi etiam sunt ITTIGIVS, IO. BEN. CARPZOVIUS, RECHENBERGIVS, aliique. Quid? quod HAMMONDVVS gregem eius detexisse existimat, Gnosticorum placita sequutum eum esse, contendens. Equidem longissime ab illis remotus esse cupio, \*) qui errores veterum haereticorum omnes extenuant, haereses esse fictas censent, periculosa et duriora dogmata emolliunt, causam perturbationis ecclesiae auctorum agunt, eosque ad orthodoxorum referre ordinem animum inducunt suum: *Diotrepbis* autem nomen ausim ex indice haereticorum expungere: quia *Ioannis* verba nihil habent, quod notam hanc ei inurat; nec vitimae antiquitatis doctores eum ad haereticos referunt, aut dogma aliquod illius adducunt, quod fundamentum fidei

\*) Vid. IAC. RHENFERDI *diff. de fictis Iudaeorum et Indaeorum haeresibus* p. 25. *seqq.* Op. Traiect. ad Rhenum edit. Plura habes in venerandi WALCHII *Comment. de haeretico Orthodoxo; Miscell. f. L. III. Exerc. VIII. p. 732. seqq.*

fidei labefacēt. Quod dum facio, non eum ab omni labe in doctrina vindico; neque profiteor, quod nihil tradiderit, nisi consentaneum verbo caelitus deuocato. Ex eius vita potius colligo, quod suo obsequutus sit ingenio, et curam conseruandae doctrinae incorruptae in minimis posuerit, ac personam pii castique doctoris nequaquam sustinuerit; sed cathedrae orthodoxiae operam addixerit.

## §. XVIII.

De festo  
Diotrephes.

Quae autem *Diotrephi* Apostolus vere exprobrat, haec praecipue sunt, scripsisse se ecclesiae, sed non recipi a *Diotrephe*; qui principatus iusto plus sit inter suos studiosus, eoque procedat audaciae, ut Apostolum ipsum contemnere, adhortationes eius flocci facere, et plane reuicere nullus dubitet. Ut ordine rem nobis, prout gestam esse probabile est, proponamus; obseruamus, exiisse forsitan quosdam ex ecclesia, quam *Diotrephes* moderabatur, viros, doctrina probatos, et vita innocentes, disciplinam Saluatoris inter gentes disseminandi causa. Id autem iter, inconsulto Episcopo, vel Presbytero suo, aut forte etiam repugnante, aut dissentiente saltem, susceperant; cum is omnes a nutu et arbitrio suo pendere, et omnia sua fieri auctoritate uellet. Interim res eorum prospere feliciterque successerant, et multos christianorum sacris initiarant. Iam a legatione, pro Christo suscepta, redibant; forte etiam discipulos quosdam comites habebant, a superstitione ad veritatis cognitionem traductos. Adferebant quoque se cum litteras *συστασις* *Ioannis*, quae hominibus in ipsa etiam ecclesia apostolica dari solebant, quorum explorata fatis et perspecta erat fides, et opera in causa religionis praesita. Actor. XVIII. 27. Rom. XVI. 1. 2. 1 Cor. XVI. 10. sq. 2 Cor. III. 1. Ad *Philemonem* epistola tota. \*) Laudabat in ea forte *Ioannes* operam optimorum virorum, in

\*) De epistolis ecclesiasticis, formatis, pacificis, commendatiuis veteris ecclesiae, earumque usu, copiose exposuerunt FRANCISC. BERNH. FERRARIUS, in libr. de antiqu. epistol. Eccles. genere, Mediol. MDCXIII. POMPON. SARNELLIVS, PHIL. PRIORIVS, BINGHAMVS, CABASSVTIVS, SVICERVS, RECHENBERGIVS. Venerand. Praeses huius diss. in Comment. de auctoritate theol. in muneris s. administratione, nostra imprimis aetate necessaria. IO. RVD. KIESLINGIVS, in libr. singul. de stabili primitiuae ecclesiae ope litter. communicatorum connubio. Lipf. MDCCXLV. CHRIST. ANT. FRIDERICI, de epistol. vet. eccles. communicatoris et formatis, Gothae MDCCCLIV.

in re sacra augenda cum fructu collocatam, rogabatque, ut cum sociis suis hospitio exciperentur; quin etiam, ut iis ad nouam forte legationem suscipiendam subsidia liberalitate publica subministrarentur. Neque hoc inusitatum erat, sed more receptum in ecclesia, quem sequentium temporum Christiani sequuti sunt. Non tantum enim, qui opibus valebant, voluntaria adferebant munera, quoties vel ad Deum, publice colendum, vel ad S. eucharistiam capiendam conueniebant: quae Graecis *προσφορα*, *δώρα*, *θυσία* dicebantur; sed etiam pecunias extra ordinem colligebant, e quibus aduenis subsidia ferri possent: quod tabulae N. F. testantur, et TERTULLIANVS *de ieiun. et in Apolog.* IUSTINVS MARTYR in *Apolog.* CYPRIANVS, DIONYSIVS, Corinthiorum Episcopus, in *epistol. ad Soterem*, apud EVSEBIUM, H. E. IV. 23. comprobant et confirmant. Neque tamen eo fecius *Diotrepbes* hanc *Ioannis* commendationem spernebat, eique se opponebat, ac vetabat, fratres aduenas publicis ecclesiae sumptibus foueri. Qua in re animum elatum, dominandique libidinem prodebat. Sic enim *Ioannes* in nostro inciso: *Φιλοπρωτέων αὐτῶν Διοτρεφῆς ἐκ ἐπιδέχεται ἡμῶς. Diotrepbes primatus inter eos studiosus, non suscipit nos.* Haec vox *Φιλοπρωτέων*, cum ex *Φίλος*, amicus, et *πρωτέων*, quod est *principatum gerere*, composita sit; desiderium quoddam huius principatus obtinendi indicat, ut in aliis vocibus, quae coniunguntur cum voce *Φίλος*. v. g. *Φιλόσοφος*, *Φιλόπρονος*, *Φιλόξενος*, *Φιλόμυθος*. caetera. Quo circa *Φιλόπρωτος* idem est, ac *primatus adamans*. Commode posses *Φιλοπρωτέοντα* eum dicere, qui *primos sibi poscit honores*;

atque, ut apud LVCRETIVM est,

*Qui sibi summatum petit.*

Talis homo CHRYSOSTOMO est: *ὁ τῶν πρωτέων ἐγῶν καὶ ἐπιθυμῶν.* HOMIL. LVIII. in *Matth.* TERENCEVS vero in *Eunuch.* Act. II. Sc. II. 157. istius *Diotrepheae* indolis homines ita describit:

*Est genus hominum, qui, esse primos se omnium rerum, volunt.*

Eadem paene voce vitur DIO CASSIVS, VI annotauit PRICAEVS in h. l. qui *Pyrrhi*, regis, ambitionem, dominandique libidinem indicaturus, eum τὴν τῆ ἀνδρῶς *Φιλόπρωτον* nominat; quam vocem etiam PLVTARCHVS adhibet in *Solone* et *Alcibiade*. In sacris litteris *Φιλοπρωτέων ἀπαξ* λεγόμενον est, et fere h. l. voci κατακρυβεύειν respondet, qua *Petrus* I Ep. V. 3. vitur. Quum enim officia

officia virtutesque Presbyterorum proponit; inter eas etiam hoc iure meritoque referendum existimat: Μηδ' ὡς καταυγεμένοιες τῶν κλήρων, non tamquam, qui in clericis dominantur. Similis compositio, nec dissimilis sensus, est in verbo σπαδαρχιάζειν. Est enim *primatum sulerter quaerere*; siue, vt SVIDAS explicat: τῆς ἀρχῆς τυχεῖν, ἐπιθυμεῖν. Cognoscimus igitur ex hac Apostoli descriptione, fuisse in *Diotrephe* eam animi elationem, vt, spreta coetus apostolici εὐταξία, ordinisq; conseruatione, omnium esse vel princeps in ecclesia vellet; vel solus esse vellet. Cum hac principatus cupiditate pertinaciam coniungebat, in regimine ecclesiae ad se rapiendo, et saniora pati consilia non poterat; sed tantos sibi spiritus, tantamque arrogantiam sumebat, vt ferendus vix esse videretur. Quare ad credendum inducor, quod, si non primus, vnus tamen e primis fuerit, qui cum Episcopi, seu Presbyteri essent, caput inter suos magis magisque extulerunt, ordinis dignitatem in magisterii et iurisdictionis ὑπεροχὴν conuerterunt, regiminiq; ecclesiastico - politici fundamenta prima posuerunt.

## §. XX.

*Diotrephis fastus cum Pharisaeorum superbia comparatur.*

Erat is *Diotrephis* nostri spiritus iam in Pharisaeis, scribisq; quorum mentio fit Matth. XXIII, 6. Luc. XI, 43. XX, 46. Discipulos enim suos populumque a κενοδοξίας vanitate auocaturus communis humani generis doctor, hos eorum mores animi superbientis signa refert: quod delectentur stolis, phylacteriis, simbriisque nimium latis vtantur, adamantque salutationes in foro, et ἑαββι, ἑαββι vocari cupiant, inprimis vero πρωτοκλισίαν ἐν τοῖς δείπνοις et πρωτοκαθεδρίαν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, *primum discubitum in coenis, primamque cathedram in scholis*, adfectent. Atque ex hoc fonte manabat graue illud impedimentum verae in Christum fidei, et gloriae diuinae amplificandae, quod salutis nostrae adseror libere proficitur: πῶς δύνασθε ὑμεῖς πιστεῦσαι, δόξαν παρὰ ἀλλήλων λαμβάνοντες, καὶ τὴν δόξαν, τὴν παρὰ τοῦ μόνου Θεοῦ, ἄζητεῖτε. Io. V. 44. In quem locum digna est, quae legatur, IOCHII *diff. de studio gloriae, fidei impedimento.* Wittebergae MDCCXXVIII.

## §. XXI.

*Quaenam illa epistola sit, quam Ioannes ecclesiae scripsisse testatur, disquiritur.*

Impotentis dominandi libidinis, qua in transuersum rapiebatur *Diotrephes*, certius aliud signum non est, quam quod Apostolum omnibus carum, ipsique Christo amatum, contemnebat, eoq; superior esse, volebat. Documento sunt verba: Ἐγεῖρα τῇ ἐκκλησίᾳ.

σία· ἀλλ' ὁ φιλοπρωτεύων αὐτῶν Διοτρεφῆς, ἐν ἐπιδέχεται ἡμᾶς.  
 Quae sit illa epistola, quam scripsisse testatur Apostolus; non conueniunt inter se viri eruditi. Reddit vetus ille Codicis s. interpret τὸ ἔγραψα per *scripsissem*, ita, vt sensus verborum *Ioannis* hic sit: Scripsissem, non solum tibi, vt feci, sed vniuersae etiam ecclesiae loci, vbi commoraris, nisi iam prauidissem, *Diotrephen* hanc epistolam plane non receptorum esse. Defendit hanc translationem CLERICVS, in *Hist. Eccles. Saec. 1. p. 506.* et sequuntur Romanae ecclesiae interpretes plurimi; ERASMO tamen, MAVDVITIO in *Analysi Ep. Paulli et Canon.* et TILLEMONTIO in *Memoires Hist. T. V. P. III.* ex aduerso stantibus. Quod mirum nemini videri debet; quum vulgatam versionem fontibus ipsis aequiparare, illique eandem paene auctoritatem tribuere, non dubitent. Sed, quum in bonis probationibusque codicibus simpliciter ἔγραψα legatur: valde verisimile est, quod τὸ ἀν a quodam illustrationis causa in margine adpositum, et deinde codicibus quibusdam insertum fuerit; ita, vt nunc in nonnullis verba ita habeant: ἔγραψα ἀν, *scripsissem forsitan.* Et tali codice vsus forte est vetus ille vulgatae versionis auctor. HEVMANNVS, iam laudatus, periisse hanc epistolam, et quidem *Diotrephis* iniuria periisse existimat. *Epistola haec*, inquit, *cum nostram ad aetatem non peruenerit, ac iam primis temporibus perierit; facile credimus, eam suppressam fuisse a Diotrephe, magnae auctoritatis et potestatis in ista ecclesia viro.* SONNTAGIVS, in *b. l. p. 144.* deperditam esse, putat. Eam vero iacturam ecclesiae nullum atulisse damnum, WITSIVS in *Melot. Leid. p. 98.* obseruat. *Non est, quod queramur*, inquit, *pot pretiosa κερήλια temporum iniuria periisse. Est potius, quod Deo agamus gratias, cuius prouida erga nos beneuolentia factum est, vt tot et tanta retinuerimus, quae nobis ad salutem erudiendis abunde sufficiunt.* COCCIVS existimat, Apostolum de hac ipsa epistola tertia *Ioannis*, non tantum cunctis, sed etiam singulis amicis *Caio* et *Ioanni* notis, destinata loqui. Fuerunt praeterea alii, qui, LANGIO in *Exeges.* huius epistolae teste, de secunda *Ioannis* epistola, electae dominae inscripta, verba acciperent, intelligerentque per electam dominam ipsam ecclesiam, quorum in numero etiam est MAVDVITIVS iam adductus. LIGHTFOOTVS, in *Chronic. temp. Op. Vol. II. p. 117.* Apostolum ad primam suam epistolam respicere, arbitratur: *Haec*, inquit, *scilicet scripsi, verba ad primam Ioannis referri debent, ni temere et iniuria, vt ne peius dixerim, vlla vspiam sanctissimi viri scripta periisse, suspicemur.*

spicemur. In hac sententiarum diuerſitate, quam ſequatur veri cupidus, cum ad ſe quiſque vir doctus vocare illum, reuocare a cæteris, videatur? Non ſunt hæc diſſidia tanti momenti, vt in ſapientiae diuinæ ſtudio quemquam impediunt. Caput rei ita verum eſt, vt falſum eſſe non poſſit, et extra controuerſiam ponitur, *Ioannem* ſcripſiſſe ad fratres. Non video autem rationes ſat graues, quæ nos cogitare de epiſtola aliqua diuini viri depêdita iubeant. Argumentum controuerſæ epiſtolæ aliud non erat, quam quod epiſtola prima tractat, quæ tota ad caritatem mutuam in ſocietate et coniunctione chriſtianorum hominum, tota ad benignitatem atque ad communem omnium vtilitatem, accommodata eſt. Quid ergo prohibet, quo minus, ad hanc Apoſtolum reſpexiſſe, credamus? *Ἐγραψα* ſcil. *ἑἴς το.* In eandem ſcriptû ſententiam. Hanc vero epiſtolam *Diotrephen* non ſuſcepſiſſe grauius conqueritur Apoſtulus: *ἐν ἐπιδήχεται ἡμῶς*; quod idem eſt, ac neque me, neque fratres, ſuſcipit, neque arctiorem curat, quæ inter nos vigere debebat, colligationem, neque vllam monitorum meorum habet rationem. Eadem fere huius vocis vis eſt, ac *προσλαμβάνεσθαι*, quod Rom. XIV. 1. occurrit. Sed cur non ſuſcepit Apoſtolum et litteras eius? an, legatum Ieſu Chriſti mendacem eſſe, putauit? an ſcripta eius tamquam a malo dæmone profecta, repudiauit? an monita eius ſaluberrima pernicioſa forte coetui ſuo eſſe ſibi perſuaſit? Hæc ego eum inſania correptum fuiſſe, nequaquam præ me fero. Odio inuidiæque ſtimulis potius incitatus eſt, et cupiditates hæc ſequēbatur duces; quæ vbi mentes humanas vincunt: actum eſt de veritate et de officiis, quæ diſciplina Chriſti præſcribit. Violatur fides, iuſtitia poſthabetur, virtus omnis pedibus ſubiicitur, et vitiis omnibus aditus patet: inprimis vero concordia pacisque ſtadium, tantopere commendatum chriſtianæ religionis profeſſoribus, e medio tollitur. Subierant iam *Petrus* ac *Paullus* pro Chriſto ſupplicia, *Ioannes* ſedem ſuam in Aſia fixerat, curamque eccleſiarum, ab Apoſtoliſ conditarum, ſuſceperat. Id vero *Diotrephes* grauius moleſteque ferebat, in ſua iura inuolari, ſuæ dignitati detrahi plurimum, Apoſtolo autem, nihil iuris in eccleſiam eſſe, quam non collegiſſet, ratus. En cauſam repudiari a *Diotrephe Ioannis*, et abiectæ eius epiſtolæ: nimirum et regiminis, ſupremæque in eccleſia ſua poteſtatis cupiditatem factum; qua abreptus, non quærebat, quid verum bonumque, quid voluntati diuinæ conſentaneum, quid ſociis ſuis vtile, quid futurum eſſet eccleſiæ; ſed quid demulcendæ ſuperbiæ, quid ruen-

do



do primatui, quid nomini propagando, quid inani gloriae aucupandae, aptissimum esset.

## §. XXII.

Haec dum suis momentis expendo; non possum non grauissimo-  
*Superbia ecclesiae semper intulit mala maxima.*  
 rum malorum iniicere mentionem, quae veritati pietatique, et omni  
 rei sacrae nullo non tempore inflata sunt per homines, qui spiritui  
*Diotrephis* seruire, quam sancto Spiritui obsequi maluerunt. Enim  
 vero, quoad longissime mens spatium praeteriti temporis respicere,  
 et ipsa rei christianae primordia repetere memoria potest; reiecti a  
 multis Christi et impugnatae Apostolorum doctrinae, inter tot ac tanta,  
 quibus firmabatur, argumenta, praecipuam reperio causam, elationem  
 et superbiam. Disciplina Saluatoris nostri aduersa fronte spiritum  
*Diotrephis* impugnat, dominandique libidini prorsus contraria est.  
 Itaque homines, qui his cupiditatibus obnoxii sunt, et vitiis feruiunt,  
 audire hunc doctorem, atque obsequi ei non possunt. Bene sapienterque  
 LACTANTIUS, diu. instit. VII. 1. *Haec nostra, quae tradimus, pravae vitiosaeque mentes aut omnino non intelligent: hebetatur enim acies eorum terrenis cupiditatibus, quae sensus omnes grauant, imbecillesque reddunt; aut, si intelligent, dissimulabunt tamen, et, haec vera esse, nolent, quia trabuntur a vitiis et scientes malis suis fauent, quorum suauitate capiuntur, et virtutis viam deserunt, cuius acerbitate offenduntur.* Addit: *Qui libidinum stimulis incitati, ut ait poeta, in furias ignemque ruunt, incredibilia nos adferre dicunt: quia praecepta continentiae aures eorum vulnerant, quae illos a voluptatibus suis prohibent, quibus animum suam cum corpore adiudicauerunt. Qui vero ambitione inflati, aut amore potentiae inflammati, omne studium suum ad honores acquirendos contulerunt; nec, si solem quidem ipsum gessimus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinae, quae illos iubet, omni potentia et honore contempto, humiles viuere, atque ita humiles, ut accipere iniuriam possint, et referre nolint, si acceperint. Si sunt homines, qui contra veritatem, addo etiam caritatem, clausis oculis latrant. Quod si dixerero, errorum, haeresium, vexationum, quibus oppugnata et saepe propemodum oppressa est ecclesia, foecundissimam esse matrem superbiam; equidem non vereor, ne in falsi notam apud aequos iudices incurram: cum praecuntes habeam praestantissimos doctores, CYPRIANVM inprimis et ISIDORVM PELYSIOTAM,*  
 qui

qui copiosi sunt in tractando hoc argumento; \*) immo ipsum *Paullum* 1. Tim. V. 3. 4. "Εἰ τις ἑτεροδιδασκαλεῖ, τετύφωται.

An censētis, in sacris certaminibus multis de gloria Saluatoris, de religionis sanctissimae veritate, de ecclesiae hominumque ei adscriptorum salute, disputatum tam acriter, et tantas excitatas esse traegodias? Minime vero. Actum est non raro inter doctores, vter acutior; vter doctior; vter auctoritate plus apud plebem valeret; vter alteri praestaret dignitate, honore, clientibus; vtra ecclesia vinceret in conflictu; vtra leges alteri ferret; vtra sua placita, suumque regimen alteri imponeret? Quo circa, si veram rerum causam inuestiges; litatum est, non veritati, non iustitiae, non Dei gloriae, sed superbiae priuatisque commodis, priuatis odiis, priuatae inter antisites aemulationi, vt *Tyrrētius* obseruat. *Valentinus*, ob alium sibi in episcopatu praelatum ab ecclesia plane secessisse, perhibetur. *Marcion*, a patre Episcopo, ob illatum virgini stuprum, ab ecclesia eiectus, atque a Clero Romano, cum recipi vellet, repulsam passus, ira percitus, haereticis caput cum *Cerdone* exitit. *Arium* ambitus impulit, teste *Theodoro*, vt nefanda sua placita proponeret. Et quid *Nestorio*, *Montanoque* occasionem errorum promulgandorum praebuit? Eadem mens iusto nimis sibi confidens, placitisque suis mittere nuntium nolens. Quid *Paullum Samosatenum* incitauit? Eadem mentis superbientis stulticia. Digna inprimis sunt, lectu, quae de huius hominis superbia tradidit *Eusebius*, *H. E. VII. 25.* quia petita sunt ex epistola quadam *Concilii Antiochens*, ad *Dionysium*, Episcopum Romanum et *Maximum*, Alexandriae Episcopum, data, et imaginem viuum hominis superbientis et insolentis nobis exhibent. Schisma *Donatistarum*, quo tandiu

\*) *Cyprianus*, in epist. ad Rogatian. Haec sunt initia haereticorum, et ortus atque conatus schismaticorum, male cogitantium, vt sibi placeant, et praepositum superbo tumore contemnant. Sic de ecclesia receditur: sic altare profanum foris collocatur: sic contra pacem Christi et ordinationem atque veritatem Dei rebellatur. *Iustin. Martyr*, aut quisquis auctor est quaestion. ad orthodox. \*Εκ φιλοδοξίας, ἢ ἀντιπαθείας τῶν αἰσθητῶν πᾶσαι αἱ αἰρέσεις τὰς ἀφορμὰς ἔχουσαι τῆς συνάσεως αὐτῶν. *Isidorus Pelusiot*, Epist. L. IV. p. 430. Ἡ φιλαρξία πάντων αἰτίαι τῶν κακῶν, ἢ καὶ τὰ κακῶν ἀνατρέπτω περιμένει διὰ τοὺς πολέμους, ἃ μόνον ἐφ' ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν κακῶν ἐπινομήσασιν παρασκευάσασιν. Ambitio et imperandi cupiditas omnium causa malorum, quae etiam bene constituta euertere conatur, grauius bella non solum nostra memoria, sed etiam antiquis temporibus inuexit in res humanas.

tandiu distracta est ecclesia, quod ansam tot rixis, tot caedibus, tot tumultibus dedit; unde, nisi ex priuatis in *Caecilianum* odiis, tum *Bodri et Caeclesi*, quibus ille praelatus fuerat, tum seniorum quorundam, tum *Lucillae*, impotentis animi foeminae, quae, se ab illo reprehensam aegre ferebat? Longa illa dissidia de *Origene*, pridem mortuo, et *tribus Capitulis*, quibus ecclesia VI. saeculi tantopere perturbata est, unde, nisi ex superbia et aemulatione inter *Pelagium*, Diaconum Romanum, et *Theodorum*, Episcopum Caesareensem? Quid causae sit, quod ecclesia Romana caput extulerit, satis constat. Romanus Episcopus, pari cum reliquis loco, nec maiori praeditus potestate, adiuuante imperatorum, aliorumque principum in illam sedem beneuolentia ac fauore, artibus, a spiritu *Diotrephis* suppeditatis, in illud tandem superbiae et arrogantiae culmen ascendit, ut omnia ad se traheret, Episcopi oecumenici titulum vsurparet, et cum titulo imperium reuera in vniuersam ecclesiam sibi vindicaret, dictatorio more de omnibus pronuntiaret, leges figeret ac resigeret, se super reges et imperatores extolleret, illos pro lubitu deiiceret de gradu ciuesque sacramento daerae fidei exfolueret, alios in eorum locum sufficeret, denique Monarcham ecclesiae, Christi vicarium, Deumque ipsum in his terris gerere se, non dubitaret. Quod ipsum documento est, vera praedixisse *Paullum*, quod perditus ille et proiectae audaciae homo festurus in templo Dei, pro Deo se venditaturus et sacrilego ausu  $\text{ὁπὲρ τοῦ θεοῦ βλάσφημα}$  elaturus sit. 2. Thess. II. 4. Conf. *Apolog. Aug. Conf. de ecclesia* p. 149. *Artic. Smalcald. de Papatu, et de primatu Pap.* p. 340. adde *CYPRIANI demonstrat. de orig. et incremento Papatus*, 10. *ALPH. TVRRETINVM, de var. christian. doctrinae satis, Opusc. T. I. p. 454. et de adfectib. a vero abducentibus, l. c. p. 490. WERNSDORFF, de causis turbarum in ecclesia. Vol. I. Disput. p. 457. IO. GVIL. BAIERVM, de ambitione, haeresium matre. Nec desunt nostra aetate exempla spiritus *Diotrephis*. Tolandum, famosum istum ineptissimarum tot sententiarum auctorem, intolerabili fastu agitarum esse, doctissimi viri *LOCKIVS, CLERICVS, MOLYNE-SIUS*, adducti a *ZIMMERMANNO*, in *Opusculis, T. I. P. I. Med. II.* testantur. Et celeberrimus *MOSHEMIVS*, in *Commentatione de vita, satis et scriptis Tolandi* p. 23. refert, eum, quum iuuenis adhuc Lugduni Barauorum litteris operam nauaret, iactauisse, se, quam primum in Angliam sit venturus, nouae sectae caput esse futurum:*

E

Quibus

XXXIII DE DIOTREPHE.

quibus verbis infelix euentus respondit. Stat igitur sententia beati LVThERI, *omnem superbum theologum esse haereticum, si non de facto, saltem de iure*: hisque verbis indicauit, facillime fieri posse, vt talis homo, ad sententias quasuis nouitatem prae se ferentes abripiatur, et in defensione earum spiritum potius, quam placita semel adoptata ponere velit. Pie igitur veneramur prouidam Dei circa nostram salutem curam, quae nos tam sedulo grauiterge admo- net, nobis vt caueamus ab hoc vitio. Rom. XII. 1. Petr. V. Luc. I. Matth. XVIII. XXIII.

§. XXIII.

De maledi-  
centia Diotre-  
phis.

Secundum, quod in *Diotrephe* notatur, vitium est nimia garruli-  
tas, immo maledicentia. De hac re ita *Ioannes*: λόγους πονηροῖς  
Φλυαρῶν ἡμᾶς, *verbis malignis garriens in nos*. PLVTARCHVS in  
libro περὶ ἀδολεσχίας duo Φλυαρίας constituit genera, temulen-  
tiam scilicet, quam ὄνωσιν vocat, et garrulitatem, quae ipsa est  
ἀδολεσχία. Haec ita distinguuntur, vt temulentia sit nimia inter  
pocula garrulitas, vnde etiam ebrietas tempestas linguae nomi-  
natur, garrulitas vero sit stultiloquium. Deriuatur Φλυαρὸς, vt no-  
tauit HVNIVS in h. l., vel a voce Φλύαξ, hominemque notat,  
qui in mensa garrit, aliisque, qui compositae sunt mentis, molestus  
est, vel a Φλύω, seu Φλέω, *ferueo, ebullio*, quod adhibetur de ollis,  
aqua feruente plenis. Φλυαρὸς itaque est, qui se garrulum prae-  
bet in foro, theatro, deambulationibus, dieque nocteque nugatur.  
Adhibuit vocem *Paulus* de viduis iunioribus, a quibus, vt sibi *Timo-  
theus* caueat in electione ad munera ecclesiastica obeunda, suadet  
1. Tim. V. 13. Malos enim earum mores in medium prolaturus, in-  
ter alia, easdem esse ignaues et nugaces, curiosasque testatur, et  
loqui, quod non deceat loqui: Ὅν μόνον δὲ ἀργαί, inquit, ἀλλὰ καὶ  
Φλύαροι καὶ περιεργοί, καλῶσαι τὰ μὴ δεόντα. Superauit fere eas-  
dem malitia *Diotrephe*s, verbis πονηροῖς, id est malo animo prolatis,  
maledicis, criminosis, Apostoli famam adortus. Si autem quaera-  
mus, cur infectionibus suis petierit sanctissimum virum; non doctri-  
nam *Ioannis*, sed curam eiusdem in ecclesiam, bono animo susceptam,  
causam calumniarum fuisse, intelligimus.

§. XXIII.

## §. XXIII.

Sequitur tertium, quod in *Diotrephe* reprehenditur, vitium: durum *Frates, quos*  
 eius ingenium, inhumanitas, et hostilis in fratres animus. Dicit Apo- *Diotrephes*  
 stolus. Καὶ μὴ ἀρεμέμενος ἐπὶ τέτοις, ἅτε αὐτὸς ἐπιδέχεται τὸς ἀδελ- *non suscipit,*  
 φῆς, καὶ τὰς βελομένους κολύει, καὶ ἐν τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλει. *quinam fue-*  
*runt, et quam*  
*male eos ha-*  
*buorit.*  
*buorit.*

*Ioannes* hic nobis mores *Diotrephis* gradatim depingit, refertque, quomodo se erga ecclesiae suae membra gesserit. Primo itaque loco dispiciendum nobis erit, quinam isti, quos non suscipit, fuerint fratres?

GROTIUS in h. l. et CLERICVS existimant, fuisse *Diotrephem* ex numero eorum, qui Iudaeos, Christum professos, ritus tamen eorum retinentes, ad coetus suos admittere nollent, eoque non obscure profitentur, hos fratres tales Iudaeos fuisse. Sed vellem, documenta attulissent, ex quibus coniectura haec confirmari posset. Mihi compertum non est, Christianos ex Graecis tam immani odio flagrasse in Iudaeos, ut eos in fratribus habere nollent, omnique amoris fructu spoliarent. HUNNIVS exules, ob euangelium Iesu Christi patria expulsos, incertisque sedibus vagantes, animo concipit, cui HEVMANNVS suffragari videtur, dum exules fratres eosdem vocat. *Ioannes* ipse ἀδελφῆς καὶ ξένος fratres et hospites eos dicit, quos *Caius* hospitaliter exceperat, *Diotrephes* ad beneficia ecclesiae admittere nolebat. Addit Apostolus, hos fratres propter nomen Dei exiisse, et a gentibus nihil accepisse. Vox ἐξῆλθεν non violentam propter professionem nominis Christi exturbationem, sed voluntarium exeundi consilium innuere mihi quidem videtur, quod ad promouendam gloriam Dei et euangelium I. C. exteris praedicandum, inierant. Quod igitur iam supra monui, persuasum habeo, fuisse eos viros, qui ex coetu *Diotrephis* profecti erant, ut ad christiana sacra adducerent, adductosque in fide et vitae sanctimonia confirmarent, peregrinis sacris adhuc deuotos. Hos fratres redeuntes cum aduenis *Diotrephes* non suscipit, iisque hospitium denegauit. Bono id eum fecisse animo putat HEVMANNVS. Quum enim munere Diaconi fungeretur, id etiam eum sibi datum esse negotii, existimasse, ut aerarium, sibi creditum, bene administraret, et omnes impensas, quae superfluae essent, euitaret. Factum etiam inde esse, ut adhortationibus Apostoli nequidem morem gereret, ratus, *Ioannem* ipsum, si adesset, aerauque rationes bene cognitae haberet, aliter dispositurum esse negotium. Quae res si ita se haberet; non intelligo, quid Apostolum lenem,

lenem, benignique ac placabilis animi virum, impulerit, vt tam duris verbis vteretur, quod scilicet *Diotrephes λόγους πονηροῖς* gariat, et feueram mereatur animaduersionem. Indicio igitur haec sunt, reprehendere Apostolum, qui mitis erat, virum iniquum fratribus et vltra modum rigidum aduersus peregrinos.

## §. XXV.

*Quam inique  
ac male Dio-  
trephes egerit.*

Peccatum hoc eo grauius atrociusque erat, quo sanctius habebatur apud gentes fere omnes hospitii ius, quod a *Massurio Sabino*, Iurisconsulto, clientelis, adfinitati, agnationi praelatum esse legimus; cuique Graeci *Iouem Xenium*, hospitem illum deum, praefecerunt. Quoue humanior populus ac magnificentior caeteris haberi voluit; eo libentius per fugium peregrinis praebuit et hospitalis virtutis laudes sectatus est. \*) In ipsis Germanis, quibus Romani efferos barbarosque mores exprobrabant, scriptores, Germanici nominis dignitati minus alias fauentes, bonitatem in hospites egentes effusam, laudant, eosque, notos et ignotos adparatis epulis excepisse, testantur. TACITVS, IVL. CAESAR ET POMPON. MELA. \*\*) Apostoli nullum fere aliud caritatis officium et in Episcopo, et in vnoquoque Christianorum magis requirebant, postquam dominum suum et magistrum audierant hoc imprimis praedicaturum in decretorio illo humani generis die esse. Matth. XXVI. 1. Tim. III. 2. Tit. I. 8. Rom. XII. 13. Hebr. XIII. 1. Itaque TERTVLLIANVS hospitalitatis conuersionem cum communicatione pacis et adpellatione fraternitatis merito inter ea christianorum symbola refert, quibus sui temporis ecclesiae primam illam apostolicam repraesentarent; *de praescript. haeret. C. XX. p. 238.* Ipsi hostes christianae religionis infensissimi pietatem Christianorum in recipiendis peregrinis et aduenis admirati sunt, eamque medium esse propagandae late ecclesiae putarunt, quod ex

\*) IO. GVIL. STVCKIVS, in *antiquit. conuual.* PHIL. IA C. THOMASINVS in libr. *de tesser. hospitalit.* IOS. LAVRENTIVS *de coniu. hosp. tesser.* CASALIUS, aliique.

\*\*) IO. GVIL. BERGER, *de bonitate hospitali praeae Germaniae, in Stromat. C. XXXI. p. 254.* Germani, nullo hominum discrimine, notum, ignotum, hospitio accipiunt, comiter habent, abentem vel ad notum deducunt hospitem, vel, si quid poposcerit, viaticum dimittunt, vna humanitate ducti.

ex notabili *Iuliani* Apostatae loco, in eius ad *Arsacium* epistola, apud *SOZOMENVM*, *H. E. V. 16. p. 208.* patet. Τί ἔν ἡμεῖς οἰόμεθα ταῦτα ἀρεῖν, ἃ δὲ ἀποβλέπομεν, ὃ μάλιστα τὴν ἀθεόθτητα συνήνευξεν ἢ περὶ τὰς ξένας Φιλανθρωπίας. Cur non oculos conuertamus ad ea, quibus impia Christianorum religio creuerit, id est: benignitatem in peregrinos? Conf. in h. l. *PETR. ZORNII* *Comentat. et KIESLINGIUM*, de *stabili primitiuae ecclesiae ope litterarum communicatoriarum connubio. §. XXXIV. p. 71.* Quo igitur *Diotrephem* animo fuisse adfectum credamus, qui ad eam iniuriam aduersus *Ioannem* fratresque et aduenas impelli se passus est, quam ipsi numinum cultores, tamquam indignam homine liberali, damnarunt, quaeue nomini christiano, profanis etiam hominibus venerabili, maculam ac labem adspargere potuisset? Enim vero eo procedebat audacia, vt non tantum ipse necessariae vitae tuendae praesidia fociis denegaret, sed alios etiam prohibere conaretur, quo minus satisfacerent officio tam sancto: τὰς βλομένους κωλύει. Neque hic substitit eius improbitas, sed sua etiam potestate tam peruersae abusus est, vt ex ecclesia eiiceret, qui mandatis suis praeposteris morem gerere nollent: καὶ ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλει, *Ioannis* verba habent. Nouam hic sententiam proposuit *Celeb. HEVMANNVS*. Statuit enim, hoc ἐκβάλλειν in orationis serie et ambitu non pertinere ad eos, qui fratres suscipere vellent, sed ad fratres ipsos, quos *Diotrephem* expulsiſſe censet. Deinde per hoc ἐκβάλλειν non eiectionem, vi factam, sed actionem indicari, qua quis efficit, vt aliis exire necesse sit, arbitratur. Probat prius his rationibus; quod certum sit, *Diotrephen Caium*, eiusdem ecclesiae membrum munificentissimum, non expulsiſſe: deinde, quia inauditum fere sit, homines propter fratres, benefice liberaliterque acceptos, communionem ecclesiae priuatos esse. Ad posterius probandum vrget vir doctissimus, verbum ἐκβάλλειν non vbiq; expulsionem violentam significare. Quae etsi erudite sunt excogitata: dabit tamen vir praestantissimus, pro incredibili humanitate sua veniam ab his partibus discedendi: quia rationes ab eo adductae dubitationi non leui locum faciunt. Nam quod ad ipsum *Caium* attinet; procul dubio ille in ecclesia praeditus ea erat auctoritate, vt iniuriam *Diotrephis* abs se depellere possit. Nec incredibile est, homines propter beneficentiam liberalitatemque in fratres ex ecclesia eiici potuisse. Quid homo inuidia, odio, superbia stimulus, non audet?

XXXVIII DE DIOTREPHE.

audet? τὸ ἐμβάλλειν vero ad fratres aduenas referendum esse ex eo adparet, quia cum τοῖς βελομένοις per copulam καὶ coniungitur, et nullum omnicio subiectum aliud additur; id quod, mea quidem sententia, indicat, haec, quae praedicantur, de illo, cum quo propius coniuncta sunt, subiecto, praedicari. Caeterum viri summi interpretatio videtur a scribendi ratione abhorreere, perspicuitatis nota insigni, quam *Ioannes* adamat. Negari quidem non potest, quod verbum ἐμβάλλειν, vt bene adnotauit diligentissimus scripturae interpres, non vbique violentam eiectionem significet. e. g. Marc. V. 40. Act. VIII. 40. Io. X. 4. attamen significatio vocis magis propria et vsitator vim quamdam insinuat: a qua vt recedamus, nulla adest ratio satis grauis. Haec enim notio et in sacris litteris, Act. VII. 58. XIII. 50. et in profanis occurrit scriptoribus. Sic Romani Epicuraeos ἐξέβαλον τῆς πόλεως, vt est apud AELIANVM, Var. hist. IX. 12. et DIONYSIVS HALICARNASSEVS Tarquinii e regno eiectionem τὴν τῆ τυράννης ἐκβολὴν adpellat. Exterminauit itaque *Diotrephes* hos e coetu suo et communitate reliquorum, eosque, tamquam mala et putrida ecclesiae membra, refecandos declarauit, vsuque sacrorum tamdiu prohibuit, quam ad meliorem mentem redirent, auctoritatieque suae cederent. Similis est haec sacrorum interdictio illi, cuius vsus apud Iudaeos frequens fuit, quorum mos erat homines, quos pestiferis corruptis erroribus putabant, ἀποσυναγωγὴς ποιεῖν. Io. XVI. 2. A Iudaeis eam Christianos primis reipublicae sacrae temporibus recepisse, VITRINGA, in *Synagoga Veter.* p. 759. docet; alia tamen illius ratio apud Christianos, quam Iudaeos, fuit; quod ostendit BVDDEVS, de *eccles. apostol. C. VII. p. 805.* et de *ritib. eccles. latin. Iudaic. §. IV. Parerg. hist. theol. p. 121.*

§. XXVI.

Quo modo se  
*Ioannes* erga  
*Diotrephen*  
gesserit

Superest, vt paucis ostendamus, qua via ac ratione vsus sit *Ioannes* in emendando homine, qui tam insolenter se efferret et arrogantia pertinaciaeque sua turbas in ecclesia excitaret, quae periculo esse rei sacrae possent. Qua de re ipsum audiamus: Δια τῆτο, εὐὴν ἔλθω, ὑπομήσω αὐτῆ τὰ ἔργα, ἃ ποιεῖ. Constituerat sine dubio Apostolus, proficisci in prouincias, et obire ecclesias, visendi eas gratia, ea mente, vt omnes, quae ortae erant super fidei capitibus, controuer-



trouerſas componeret, pacem et amicitiam inter fratres conciliaret, proſpiceretque, ne quid detrimenti res diuina caperet. Poterat ſua vti praeſeruatua et extraordinaria poteſtate caſtigandi et adſtigendi homines moroſos obſtinatoſque, et qui nomini chriſtiano ignominiam adferrent, a Chriſto conceſſa, vt malum periculumque, quod immineret ſanctiſſimae religioni ex hominum flagitioſorum exemplis, caueretur: ſed *Ioannes*, facilis animi Chriſti diſcipulus, verbis ſe caſtigare hominis inſolentiam malle, quam factis, profitetur: *ὑπομνήσω αὐτῆ τὰ ἔργα, ὃ ποιῆ.* Quae tamen verba non innuunt, quod in memoriam ſaltem *Diotrephi* reuocare velit aſperitatem, duroſque mores; ſed tam ſeuere ac libere ſe ſcribit admoniturum eum eſſe facti, Presbytero proſus indigni, et cum aliorum offenſione coniuncti, vt ſentiat iniuriam, fratribus factam. 2 Tim. II. 14. Tit. III. 1. 2. 2 Petr. I. 13. Iud. 5. Quod vtrum priuatim fecerit, an publice Apoſtoloſtus, quis definiat? Qui publicam quamdam cenſuram et animaduerſionem inueniſſe ſibi hic videntur, coniecturae ſuae ſpeciem vocis *ὑπομνήσω* notione conciliant, quam *BUDAEVUS*, in *Comment. Graec. Lingu.* e Pandeſtis et Authenticis idem ſignificare demonſtrat, quod *vocare in iudicium*. Nobis ſufficit *Ioannis* comitatem cum granitate coniunctam obſeruare, qua ſenex etiam teſtatum fecit, quod merito a Magiſtro ſuo *Βουεργυῆς* adpellatus ſit. Marc. III. 17.

## §. XXVII.

Moneat nos exemplum *Diotrephis*, ne vnquam veritatem et caritatem, virtutes ita inter ſe nexas, vt altera ab altera ſciungi nequaquam poſſit, diuellamus. Etenim, ſi vel diuinorum hominum, vel angelorum linguis loquimur, et caritate praediti non ſumus; non maiore in pretio habendae ſunt exquiſitae illae dotes, ipſius Apoſtoli eſſato, quam aes reſonans, et cymbalum tinniens. Et ſi omnia arcana, et ſcientiam omnem, tenemus, et vel ipſos montes mouere loco ſuo poſſumus; a caritate autem hominum recedimus, fraternoque amore non commouemur: nihil ſumus. Vera Chriſtianorum ſapientia, quae eſt *ἀνωθεν*, fucum non facit; a ſpiritu *Diotrephis* atque ab omni iactatione et *δοκνησῶσφι*, ingeniorum peſte, abhorret. Non tumefcit inani perſuaſione; inſolens nomen ſibi non arrogat; non adpetit primatum in eccleſia; non incidit in honoris contentionem; nempe  
temere

Concluſio.

remere se praefert, ἐ ζηλοῖ, vt ait Apostolus, ἐ περιερέυεται, ἐ Φροσιῶται. Non magna loquitur, sed facit. Laudes, sic vbi eas venales obseruat, adulatione non redimit, gloriam non in verbis, sed in factis ponens. Casta est, pacifica, aequa; imperat cupiditatibus; pietate bonisque fructibus referta est. 1 Cor. XIII. 1. Iac. III. 15. Semper cogitat, quam longe a fastigio absumus: monentes sine asperitate grato modestoque animo excipit; cedere semper parata, quantum salua veritate fieri queat: tantum abest, vt perfricta fronte et importunis clamoribus vincere studeat. Ignoscit errantibus facile; sibi eo acrius intendit. De iure suo et de honoribus mauult sibi quicquam detrahi, si tolerabilis sit iactura, quam vt rixis et contentionibus sibi aliisque negotium facessat. Haec sapientia, quae veritatem et caritatem vinculo colligat, non dissoluendo, nonne amabilis et expetenda sit omnibus? Componamus cum *Diotrophe*, aut Episcopis istis Romanis *Victore* et *Stephano*, impotentis praecipitisque animi hominibus, *Caium* aliquem, aut *Ioannem* in ecclesia Iesu. Vt illi moribus, quos descripsimus, et importunitate sua turbabunt omnia! vt omnem subuertent in ea aedificationem! quos fluctus perpetuo mouebunt! quam introducent rerum omnium confusionem! quas fraudes molientur, vt prae reliquis emineant, aliosque supprimant et iugum illis suum imponant! Contra ea, vt hi veritate ac caritate omnes sibi deuincire, omnes meliores reddere, omnibus benefacere, cum omnibus grata concordia coniungi studebunt! O pulcram ecclesiam! o decoram! o regnum caelorum! Tuum est, Optime Iesu, nos a Spiritu illo *Diotrophis*, qui molestus semper gregi tuo fuit, vindicare; cum hac inprimis aetate multa nobis mala intendat. Tibi nos, studiaque nostra omnia, et hanc inprimis Academiam commendatam esse cupimus. Praesta eam saluam et incolumem ab omnibus Antichristi malis, eique, post tot ex bello perturbationes, exoptatam pacem restitue; vt studia veritatis sine corruptelis tradendae ac propagandae ad posteros cum exercenda caritate subinde magis magisque efflorescant.

S. D. G.



99 A 6970

ULB Halle

3

002 824 85X



Retro ✓







DE  
DIOTREPHE

7

AD

*Epistolam Ioannis Apostoli I. C.*

III. COMM. VIII. X.

---

PRAESIDE

VIRO

MAGNIFICO SUMMEQVE VENERABILI

D. IO. CHRISTIANO  
STEMLERO

THEOL. PROFESSORE ORD. ECCLESIAE CATHEDRALIS  
MISENENSIS CANONICO ACAD. DECENVIRO  
CONSISTORII ADSESSORE AD AED.

THOM. PASTORE

ET

DIOECESEOS LIPSIENSIS SVPERINTENDENTE

AD D. XVIII. OCTOBR. A. R. S. CIOCCCLVIII.

H. L. Q. C.

DISPVTABIT

A V C T O R

M. CHRISTLIEB GOTTWALD WABST.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

